



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XI. Ratione docetur prouidentiâ diuinâ omnia gubernari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

perantis celi fugam spectet; ut infusa vallibus maria molliant terras, nec vllum incrementum fluminum sentiant, ut ex minimis seminibus nascantur ingentia. Ne illa quidem quae videntur confusa & incerta, pluvias dico nubesque, & elisorum fluminum iactus, & incendia ruptis montium verticibus effusa, tremores labantis soli; & alia quae tumultuosa pars rerum circa terras mouet, sine ratione, quamvis subita sint, accidunt: sed suas & illa causas habent non minus, quam quae alienis locis conspecta miraculo sunt, ut in mediis fluctibus calentes aquae, & noua insularum in vasto exsiliens mari spatia. Iam vero si quis obseruauerit nudari litora pelago in se recedente eademque intra exiguum tempus operiri, crederet eadem quadam volutatione modo contrahi vndas, & introsum agi, modo erumpere, & magno cursu repetere sedem suam: cum illa interim portionibus crescant, & ad horam ac diem subeunt ampliores, minoresque, prout illas lunare sidus elicit, ad cuius arbitrium oceanus exundat.

Quam vero causam omnium mutationum dicemus, nisi ab vno aliquo incipiant, atque in vnum finem omnino tendant? sidera atque eorum orbis incitatissima velocitate, quamque nulla intelligentia possumus assequi, rapiuntur, nec illo tamen suo motu proprium aliquod bonum accipiunt, sed mundo inferiori, atque hominibus ministrant, non sua voluntate, aut scientia, sed summa cuiusdam intelligentiae, potentiaeque vi ac decreto.

Nihil à se-
ipso est.

§. 2. Alia ratio quam nobis tum Metaphysici, tum etiam Theologi explicant. Totum enim vniuersum, atque rerum omnium quae in eo sunt congeries, non potest esse à seipso, nec res singulae sua se vi creantur, sed ab alio esse ceperunt, ideoque ab alio conseruantur, & ad finem suum diriguntur. Tot causarum actionibus, ac concursu ad rerum singularum effectiorem, conseruationem, atque augmentum opus est, quomodo esse igitur possent à seipsis? aut quomodo deficere, si à se, hoc est, per essentiam suam existunt? Quod ex se esse, ut permaneat esse, alieno adiutorio non eget. Si igitur ab alio, hoc est à Deo omnia suas habent origines, à Deo esse, conseruari, regi, ac gubernari necesse est. Hoc enim ius *diuinitatis*, & opifici in opera sua negare nemo potest, à casu autem non esse iam prima ratione docui.

Quod natura omni-
bus insitum
est, ut cre-
dant, non
est impossi-
bile.

§. 3. Si regna potentia, & prouidentia diuina non administrantur, ne possunt quidem sic regi. Si enim Deus est, necessario est, & ab eius nutu omnium rerum humanarum stabilitas ac vicissitudo pendet. Si Deus non est, necessario non est. Fieri enim Deum ex illis est, quae esse non possunt: Cum igitur Dei quandam generalem & omnibus insitam conceptionem natura dederit; omnis enim anima naturaliter Christiana, cum res aduersae premunt, vel pericula instant, Deum inuocat, à Deo auxilium expectat; non igitur ille omnibus animis innatus, atque à natura infixus sensus ita fallitur, ut à se ipso, quaeque in rerum natura esse nequeunt, persequaretur. Si enim Deus non est, nihil tam alienum à ratione, tam cogitatu absurdum, tam contradictorium fingi potest, quam esse Deum. Tam vero seipsam implicans, seque euerrens opinio, non potest omnibus esse naturalis.

Impij meri-
culosi.

Documēto sunt homines improbiissimi, qui cum neminem, & meritum poenarum imminere cohortem cernunt, à Deo sibi tanta parari mala intelligunt. Vide Antiochum nobilem iam sero seruilis timore pietatis vrbem ostentantem. Audi Romanum Tyrannum querentem, Indies se à Deo perdit, etiam petus, quam sentiat. Vide alium, omnia tonitrua fugientem, ad omnia fulgura pauidum, concauerationibus subterraneis, & vituli marini pelle se male tegentem.

Cur igitur mens aliqua omnium domina, increata & creatrix esse non potest? cum mens impiorum contra factorem suum tam argute disputet? vnde vis illa tibi est, quae abscondita comprehendis, in memoria recondis, alia atque alia ratiocinando colligis? Nemo mentem tam capacem, tam nobilem, omnia intelligendo penetrantem, alia cupientem, alia liberrime refutantem, ab alio quam à praestantissima quadam mente, atque intelligentia originem habere, pronuntiabit. Quomodo enim tantam intelligendi sciendique solertiam, tam celerem appetendi motus efficere, atque ordinare res bruta, & rationis expertis poterit?

Si Deus nō
est aut non
regit mun-
dum, sine
metu sunt
omnia sceler-
a.

§. 4. Plurima hinc absurda sequi, si Deum esse negemus, docet lib. de prouidentia doctissimus nostri Lessius ratione 12. Verba eius sunt. Si nullum est numen, nullaque prouidentia, quae res humane gubernentur, multa profecto sequuntur absurda, & ab omni ratione, sanoque iudicio aliena; quae clare conuincunt illud nullo modo statui posse. Nam primo sequitur, Primam ac supremam veritatem de numine & prouidentia, aperire portam mortalibus ad omnem vitæ impuritatem, ad omnem iniquitatem & iniustitiam, ad omnem superbiam, arrogantiā, tyrannidem, denique ad perfidiam, periuriam, sacrilegia, & omne scelerum genus. Nihil enim est tam immane, vel iniquum, vel impium, quod metu minimi sublato, mens humana non ausit aggredi, & perficere, iuxta illud Psalmista: Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus. &c. Ecce fructum illius doctrinae & persuasionis; omnium scelerum turpitudine & abominabili enormitas. Illud sequi est manifestum. Sicut enim si est aliquid numen, prima & suprema veritas est, esse Deum qui mundum regat: ita si nullum est numen, prima & suprema veritas erit nullum esse Deum qui mundum regat. Erit enim veritas de eo, quod apprehenditur ab omnibus esse supremum ac primum omnium principium. Hac autem veritas extinguet in animis hominum omnem numinis metum & reuerentiam: sublato autem metu, patet via ad omnia scelera. At quid absurdius dici vel cogitari potest, quam primam & summam veritatem, & maximum diuinitatis arcanum ab hominibus cognitum vel apprehensum, ad omne nefas & flagitium viam aperire, eosque sceleratissimos & impurissimos efficere? Secundo sequitur, id quod est falsum & impossibile, & mera chimera, esse causam omnis religionis, pietatis, iustitiae, temperantiae, modestiae, benignitatis, patientiae, denique omnis virtutis & honestatis: pacis in super & tranquillitatis in Republica, & omnis boni in genere humano. Persuasio enim numinis, eiusque amor & timor, haec omnia bona parunt: & quo illa maiora & reuerentiora fuerint, eo maiora bona ex illis in animis hominum, & statu politico oriuntur. Vnde nunquam extirpit Respublica bene instituta, in qua Religio, & persuasio prouidentiae numinis non riguerit: & priuatim quo quisque fuit erga numen reuerentior & religiosior, eo probitate & vite innocentia fuit illustrior. E contrario quo quis numen minoris estimauit, eo fuit sceleratior: ut ex vtriusque historia tam prophana quam sacra constat.

Causa vir-
tutum, non
est res ficti-
tia.

At cuius amentia est credere, falso & impossibili figmento tantam inesse vim ad omnem virtutem; solidam autem veritatem tantam illecebram ad omne flagitium & perniciem? Tertio sequitur, veram & summam sapientiam extinguere omnem virtutem, & homines efficere pessimos: summum vero errorem & amentiam excitare ad omnem virtutem, & homines efficere optimos: Si enim nullum est numen, summus error & amentia est, certo credere esse numen, & prouidentiam, summam sapientiam, credere haec nihil esse nisi hominum figmenta & Chimeras. Item consequitur, veritatem & sapientiam esse homini & Republicae maxime perniciosam; errorem vero maxime salutarem: veritatem & sapientiam esse maxime occultandam, tanquam venenum animorum, & omnis Republicae; errorem vero omnibus modis promouendum tanquam omnis boni fontem. Iuxta summam intellectus sumas adferre tenebras animorum, & sumas tenebras

Si Deus non est, multas virtutes vitia esse necesse est.

Si Deus non est, nemo impius est, nisi Dei contemptor.

Si Deus non est, omnia sunt à casu.

bras intellectus gignere lucem & pulchritudinem animorum. Quae omnia plena sunt furoris & amentia. Quarto sequitur, omnes eos qui sapientia, vite sanctitate, miraculis, prophetico spiritu maxime illustres vixquam fuisse, deceptos fuisse in re maxima, nec potuisse veritatem circa numinis rationem assequi, hinc omnes diuinitatem & providentiam agnoscere, & summe venerati sunt: qui vero impietate, turpitudine vite, & omni scelere immanitate erant infames, eos solos hoc arcana reprehendisse; tales enim fuerunt omnes numinis contemptores. Omnium ergo mortalium pessimi fuisse sapientissimi, omnium vero optimi, insipientissimi, & tenebris maximis ignorantiae, & errorum obfusi. Quinto sequitur, Amare Deum, timere vindictam, offerre sacrificia, orare numen, hymnis & laudibus illud celebrare, seruire insurandum, non esse bona, sed inania, stulta, impia, & recte rationi aduersa: non scius ac amare, timere, colere, laudare Chimeram, vel aliud humani capitis figmentum. Si enim diuinitas est figmentum sicut Chimera, manifestum est, non amplius illi deferendum quam chimera. Sexto sequitur esse impium, sacrilegum, blasphemum, numinis contemptorem, non esse malum, aut recte rationi aduersum, sed hoc esse bona & laude digna, cum vera doctrina de numine sint consentanea. Si n. nullum est numen, omnes illi actus quibus ceterum, & ignominia afficitur, boni sunt: tum quia sunt protestationes quadam arcana veritatis: tum quia valent ad falsam persuasionem hominibus de providentia & numine eximendam. Sicut contumelia in idola gentilium sunt laudabiles, quia illi testamur nullam idolis inesse diuinitatem. nihil contempnibile eo quod nec est, nec esse potest. Septimo sequitur, Mundum esse instar navis in alto fluctuantis, qua gubernaculo & gubernatore est destituta. Item instar maxime Reipublicae ex omni hominum genere conflatae, in qua nulla sunt leges, nullus iudex, nullus rector, nullus tranquillitatis & boni publici curator. Si ita est, quomodo mundus potest consistere, praesertim cum rebus tam disparibus, & contrariis, & pugnantibus confset? Sicut enim navis absque gubernatore huc illuc fortuito impetu iactatur, donec illidatur in scopulos, vel impingat in breuia, vel fluctibus hauriatur, & Reipublica absque rectore cadibus & seditionibus se ipsa conficit: ita necesse erit mundum inordinatissime ferri, & contrariorum pugna dissolui, si nullus est rector, qui dirigat, & pugnantia in concordiam conspirare faciat. Octavo sequitur, Hoc vniuersum, & partium eius formationem ac dispositionem casu exitisse, & in hanc formam ac speciem coaluisse. Si enim nulla est mens, qua singula eius partes formauit, & in hanc structuram, quam videmus, digessit ac composuit, necessario fatendum est casu id totum accidisse, iuxta sententiam Democriti, qui ex fortuito impetu & concursu atomorum omnia formata statuebant. At quid hoc est aliud quam mera fatuitas & rationis inopia. Quomodo quod summa ratione constat, casu fieri potuit? videt quispiam splendidissimum & summa arte perfectum palatium, cuius structuram omnes Architecti mirantur, quare, quis artifex hoc instruxerit: respondetur ei, à nullo artifice exstructum sed olim ibidem extitisse montem arboribus confutum, quo per terrae motum corrumpente partes discesserint: & hoc lapsu ac collisione singulas partes ita formatas, in hanc speciem substructionis & palatii formam, loco informis cumuli, repente coaluisse, quis adeo recors erit, ut hoc credat? Hac & alia multa, eo principio posito, manifeste consequuntur. quae omnia quam ab omni specie veri sint aliena, rationis luci aduersa, & dictu horrenda, nemo non videt. Quare & illud principium, quod fons est talium scatebrarum, oportet à veritate esse alienissimum. Dicit aliquis falsam persuasionem in religionibus sepe maximam vim habere ad hominum animos à sceleribus absterrendos, & ad probitatem ac iustitiam impellendos. Ethnici enim qui plures Deos pro multitudinem & diuersitate rerum humanarum statuebant, eorumque providentia res humanas geri & mortalibus praemia vel supplicia pro meritis decerni putabant (quae tamen omnia falsa erant, & impossibilia) nihilominus ex hac animi conceptione abstinebant à multis iniuriis & sceleribus, quibus illa numina credebant offendere, ne in illorum iram incurrerent, & poenae suae in hac vita, sine in futura darent. Itaque argu-

mentum illud quod supra secundo loco numero 141. adduximus, alicui videri possit minime firmum. Respondeo, Persuasionem Ethnicorum fuisse quidem falsam in particulari (quatenus sentiebant hos vel illos esse numina, & curare res humanas) non tamen in genere, quatenus sentiebant esse aliquod numen, cui res humanae sint curae, quodque factorum exigat rationem. Unde quando vel metu numinis offendendi vel affectu placendi, abstinebant à malo, vel faciebant aliquid boni, impellebantur non vi persuasionis, qua falsa erat de tali numine, sed qua vera in genere. Solum enim errabant in re subiecta, tribuentes rationem numinis & providentiae illis quibus minime oportebat, eamque in illis venerantes. Itaque non tollebant ipsam rationem formalem numinis & providentiae, sed eam statuebant: ac proinde retinebant aliquo modo iustitiae politicae verum fundamentum. At vero si nullum est numen, nulla providentia, ipsum fundamentum in genere penitus est falsum & fictitium: ac proinde fieri non potest ut aliquam vim habeat ad vite probitatem: aut si aliquam vim habet, ut experientia constet habere maximam, perspicuum est non esse rem fictitiam, sed veram. Haec summi Theologi verbis referre volui, quia neque breuius, neque neruosi, & clarius dici posse existimo.

§. 5. Haec adeo sibi constant, ut quisque in foro mentis suae testimonium Deo reddat. Nouum testimonium (inquit Tertull. lib. de testimonio animae) aduoco, imo omni literatura notius, omni doctrina agitatius, omni editione vulgatius, toto homine maius, id est, totum quod est hominis. Quid igitur postulat ab anima? Non placemus, ait, Dominum pradicantes, hoc nomine unico vnicum, à quo omnia, & sub quo vniuersa. Dic testimonium, si ita scis. Nam te quoque palam, & tota libertate, qua non licet nobis, domi, ac foris audimus ita pronuntiare: Quod Deus dederit. Et: Si Deus voluerit. Ea voce & aliquem esse significas, & omnem illi confiteris potestatem, ad cuius spectas voluntatem: simul & ceteros negas Deos esse, dum suis vocabulis nuncupas, Saturnum, Iouem, Martem, Mineruam. Nam solum Deum confirmas, quem tantum Deum nominas, ut & cum illos interdum Deos appellas, de alieno, & quasi pro mutuo vsa videaris. De natura quoque Dei, quam pradicamus, nec te latet: Deus bonus est, Deus benefacit, tua vox est. Et deinceps: Hinc ergo tibi anima de conscientia suppetit domi ac foris, nullo irridente, vel prohibente pradicare, Deus videt omnia, & Deo commendo, & Deus reddet, & Deus inter nos iudicabit. Unde hoc tibi non Christiana? Miratur vero Tertullianus in ipsis templis demonum eos Deum iudicem implorare, ideoque exclamar: O testimonium veritatis, quae apud ipsa demonia testam efficit Christianorum?

Haec testimonia animae, quanto vera, tanto simplicia, tanto vulgaria, quanto vulgaria, tanto communia: quanto communia, tanto naturalia, quanto naturalia, tanto diuina. Non putem cuiquam friuolum, & frigidum videri posse, si recogitet naturae maiestatem, ex qua censetur auctoritas animae. Quantum dederis magistro, tantum ad iudicabis discipulae, magistra natura, discipula anima. Quicquid aut illa edocuit, aut ista perdidit, à Deo traditum est, magistro scilicet ipsius magistra. Quid anima possit, de principali institutore presumere, in te est estimare de ea quae in te est. Senti illam, quae ut sentias efficit: recogita in praesagis vatem, in omnibus augurem, in euentibus prospicem. Mirum si à Deo data homini nouit diuinare. Tam mirum si eum, à quo data est, nouit. Etiam circumuenta ab aduersario meminit sui auctoris, & bonitatis, & decreti eius, & exitus sui, & aduersarii ipsius. Sic mirum, si à Deo data, eadem canit, quae Deus suis dedit nosse. Sed qui eiusmodi cruciaciones animae non putat, aut doctrinam esse naturae, & congenitae, & ingente conscientie tacita commissae, docet potius de veritatis in vulgus opinionibus publicatarum literarum vsu iam, & quasi vitium corroboratum taliter sermocinandi. Denique, Omnium gentium, ait, vnus homo nomen est, vna anima, varia vox: vnus Spiritus, varius sonus, propria cuiusque genti loquela, sed loquela materia communis. Deus vbique, & bonitas Dei vbique, demonium vbique, & maledictio demonum vbique, iudicii diuini reuocatio vbique, mors vbique.

Gentes generatim esse numen crediderunt.

Omnis anima in tus pro Deo testimonium dicit.

Omnis Dei contemptor est inexcusabilis.

& conscientia mortis ubique, & testimonium ubique omnis anima suo iure proclamatur, quæ nobis ne mutare conceditur. Merito igitur omnis anima reat, & testis est: in tantum & reat erroris, in quantum testis veritatis, & stabit ante auras Dei, die iudicii, nihil habens dicere. Deum predicabas, & non requirebas demonia abominabilia, & illa adorabas.

§. 6. Denique Deum esse factorem, atque rectorem omnium imperiorum, adeoque totius mundi, omnia in fines suos ordinatissime tendentia ostendunt. Quæ enim ars, quæ intelligentia, actiones, instrumenta, tempora, locum, circumstantiaque & coniuncta tam concinne, tam sine errore ordinare potest? at res ipsæ nihil horum agnoscunt, naturæ quodam instinctu atque impetu efficiuntur atque efficiunt, suæ molitionis ignaræ. Vide granum sinapis, quod inter semina paruum, & tamè minima eius portio est viuida, & pingui, oleosoque humore in arborem exitura, in minima autem minimi feminis particula, varietas partium maxima est, aliud enim firmatur in truncum, & quasi lignum, aliud in medullam emollescit, aliud tenditur in corticem, aliud in folium se explicat, aliud in florem, aliud deorsum in terram succos hausturum sese deprimit, nec in has modo partes, sed in partium particulas quoque scinditur; nam trunco, cortici, foliis, floribus, suæ sunt carnes, ossa, venæ, tunica; adeo ut nulla arbor sit quam non facile in centenas heterogeneas partes diuiseris, quomodo igitur tanta, in tam tenui corpufculo virtus, partes tam distinctæ, earum tam mira efficientia, ut crudos terræ humores, tam vario fine, in tam diuersa dispensent? Partem enim spissant, & indurant in lignum, partem in corticem, in florem, in folia. Quæ hæc operatur nisi insignis, & omnium architecta sapientia? Et hæc omnia in vnum finem deducit, nempe hominum vtilitatem. Quorum igitur causa quis dixerit effectum esse mundum? Foris scilicet animalium, quæ ratione vtiuntur, hi sunt Dii, & homines, quibus profecto nihil est melius, Cicero lib. 2. de nat. Deorum, & Laetantius de ira cap. 13. Vera est sententia Stoicorum qui aiunt nostra causa mundum esse constructum. Omnia enim quibus constat, quæque generat ex se mundus, ad vtilitatem hominis accommodata sunt. Optime Seneca si vnum DEVM agnosceret, libro sexto de benef. cap. 23.

Adiice nunc, quod non externa cogunt Deos, sed sua illis in legem æterna voluntas est. Statuerunt, quæ non mut. rent. Itaque non possunt videri facturi aliquid, quamvis nolint: quia quicquid definire non potest perseverare voluerunt, nec unquam primi consilii Deos poeniter. Sine dubio stare illis & desistere in contrarium, non licet: sed non ideo, quia vis sua illos in proposito tenet, ex imbecillitate permanent: sed quia non licet ab optimis aberrare, & sic ire decretum est. In prima autem illa constitutione, cum vniuersa disponent, etiam nostra viderunt, rationemque hominis habuerunt. Itaque non possunt videri sua tantum causa decurrere, & explicare opus suum: quia pars operis sumus & nos. Debemus ergo & Soli, & Luna, & cæteris cælestibus beneficium: quia etiam si potiora illis sunt, in quæ oriuntur, nos tamen in maiora itur iuuant. Adice, quod destinato iuuant, ideoque obligati sumus, qui non in beneficium ignorantium incidimus, sed hæc quæ accipimus, accepturos scierunt: & quamquam maius illis propositum sit, maiorque actus sui fructus, quam serua. mortalia: tamen in nostras quoque vtilitates à principio rerum permixta mens est, & is ordo mundo datus, ut appareat curam nostri non inter vltima habitam. Debemus parentibus nostris pietatem & multi non ut gignerent, coierunt. Dii non possunt videri nescisse, quid effecturi essent, cum omnibus alimenta protinus, & auxilia prouiderint: nec eos per negligentiam genuere, quibus tam multa genuerant. Cogitauit enim nos ante natura, quam fecit: nec tam leue opus sumus, ut illi potuerimus excidere. Nonne omnino Christianus videri posset, si vni vero Deo, hæc tribueret?

Deum esse ostendit natura rerum omnium in fines suos tendentium.

Multi falso Deos animalia putarunt.

Qui nostra omnia gubernat, etiam nos regit.

Si nostri igitur causa tanta moles vertitur, si tam parua tanto constant artificio prouidentiaque, ut in vno pene grano non minor sit admirandi materies, quam in vastissimis cælorum orbibus, certe hominum societatem, imperandi parendique vices, præmiorum & pœnarum cuncta DEVS idem moderatur.

Quomodo enim præstantissimæ creaturæ negligat gubernationem, qui olerum, viti dicam, Rempublicam, tam concordibus, tam plenius nascendi, crescendi, florendi, fructificandi, seminandi legibus instruxit, idque cum in finem, ut homini seruirent? Si igitur bruta seruitia, si fundas, si iumenta tanta cura dignatus est, quis miretur cum nos dignos habuisse, quos regeret, qui nostra omnia gubernat? Neque enim stolidos parentes imitatur, qui agros, pecuniam, domos, familiam liberis suis parant, ipsos negligunt.

CAPVT XII.

Rempublicam à Deo regi exemplis ostenditur.

§. 1. LIBRO secundo proprius huic disputationi locus erit. Nam improbos puniri, bonos principes foueri, ac defendi ostendam.

Lento passu, sed graui diuina vindicta procedit, quamvis propere nonnunquam pœna repræsentetur. Hæc vero iudicii diuini in delinquentes exercitum vigorem vel maxime demonstrat. Quamuis peccantium nemo euadit, sed vel mox ducitur, vel differtur, nisi poenitentia, & benefactis vlticem numinis manum anteuerat, maxima tamen pars poenarum in futurum seruatur; interim tamen æterna illa mala, tot mala temporaria antecedunt, ut dubitare nemo possit, Deum esse, qui res mortales regit, iudicat, bonos remunerat, impios vlciscitur. Iudicat ille orbem terrarum in æquitate, & populos in veritate sua. Quod enim necessitatem fati esse, quod fortuitum euentum quidam interpretantur, Dei iudicium est. Hinc mira & inopinata rerum conuersiones. Nullus annus est, non insignis potentium ruina, aut morte, imo nulla dies, quæ non aliquos vesperi iacentes videat, quos mane viderat superbos: non facit hoc

Sidus, & occulti miranda potentia sati, sed Deus, Deus inquam, quia sidera vocat, & dicunt, adsumus; quin non ad suum ministerium, sed hominum vtilitatem lucas illas effecit.

§. 2. Iudicio illo percussus fraticida primus per petus pauore vagus, ac tremens sceleris indicia mundo circumferebat; illo iudicio diluuium terras inundauit, Sodomitæ cælestis flamma exussit, Egyptios rubrum mare opprestit, Chanangos Israël deleuit. Hoc iudicio Core, Dathan, Abiron, & multa millia in deserto ceciderunt, multos annos Israël vicinorum regum tyrannide pressus postremo sub regibus suis afflictus, septuaginta annorum seruitute damnatus est. Sed maiora videamus, Assyriorum auaritia totam Asiam exhaurire Deus permisit, hos per Chaldaeos spoliavit, Chaldaeorum luxum per Medos & Persas ingenti ruina opprestit, Medas & Persas latissime in præstantes, etiam summo fastigio sublatos vitiæque maximo imperio maiora, propalam ostentantes, perfordidissimam Græciæ gentem Macedones iugum seruitutis accipere coegit. Hos vero in se collisos Romanis debellandos, conterendos, exollandos obiecit.

Cum Romanorum deinde peccata excessere modum, ut nec tolerari amplius, nec medicinam ferre posset,

Seu propere, seu lenta vindicta sit, semper prouidentiam ostendit.

Iudiciorum Dei synopsi.